



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**


**Antverpiae, 1668**

Modus Octavus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

Vere Diony cap. 4. de Divin. Nomin. *Deus ipse sui ipsius, & sibi ipsi, provocator & motor est. Ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi.* Bern: Serm: 5. in Nati. Id in subiecta redemptionis causa significaturus apud Ezech. cap. 16. *Transiens autem, inquit, per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in sanguine tuo, vive. Quid hic causæ amoris? nisi quia dilexit: & quidem volutatos in sanguine nostro, cum scilicet ejus inimici essemus. Non enim, pergit explicans August eum de calo merita nostra, sed peccata traxerunt. Quare per Isai. 27. minatur. In mensura, contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam: nimirum, in mensura misericordiæ Dei, opposita impietati nostræ, ut proinde toto corde clamandum sit: Domine non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua, non pereat in miseria mea, quod operata est misericordia tua: Cap. II. Solil.*



## MODUS OCTAVUS.

**E**st Allegoricus: Allegoriâ, Rhetoricè sumptâ, non autem Theologicè, de qua actum est modo tertio. Est autem Allegoria Rhetoricè sumpta, quando res sub similitudine tractantur: non rem rei assimilando: sed posteaquam similitudinem convenientem assumpsimus: ita de similitudine assumpta agendo, ut facile Auditor intelligat, quid de re, sub similitudine comprehensa, dicere velimus. E. G. ad Verba Marci 16. quibus sig-

nificantur, mulieres ad sepulchrum Christi venisse  
*Orto jam sole*, agere posses de Christi Resurrectione  
 sub similitudine solis Orientis, explicando, quem-  
 admodum solis ortus omnibus gratus ac salutaris  
 contingat, obscura illustret, abscondita pandat,  
 mundum serenet, radiorum claritate facile se ubi-  
 que insinuet: quæ omnia, & singula Christi Re-  
 surgentis attributis, conveniunt: Similiter si ad il-  
 lud Evangelij Matth. 9. *Non est opus valentibus me-  
 dicus*, commendes pœnitentiam, sub ratione me-  
 dicinæ, non difficilis, certæ, summæ, necessariæ, &c  
 ita de medicinâ loquendo, ut facile intelligere pos-  
 set Auditor, te de pœnitentia loqui.

Sunt autem nonnulla, maximè à Tyronibus in  
 hoc genere dicendi vitanda. 1. ne Allegoriæ, cor-  
 ram Auditore inerudito, & ex plebe coactio, vendi-  
 tentur. A tali enim hominum grege, non intelli-  
 guntur: quod si non intelliguntur, nullum fru-  
 ctum faciunt. 2. Ne extortæ, leves, audaces, si-  
 militudines assumantur, ut si dicas, monstrabo so-  
 lem, gladio succinctum: id est, Christum prædi-  
 cantem; ineptum ac invitum est. Quamvis enim  
 Christus *D. sol* in scriptura appelletur, & verbum  
 ejus, *Gladius*; solem tamen accingere gladio, nisi  
 illi humeros, lumbos, ac manus attribuas, ineptum  
 est rursus dicere. Agam cum Christo jure, an-  
 te Tribunal Patris, quod nos contra promissa sæ-  
 pius non exaudiat, leve, audax, deniq; insolens est.  
 3. Ne Allegoria assumpta facile deferatur, ne ab  
 incendio inchoes, & naufragio concludas. Un-  
 de non solum cogitandum, quid de re dici possit;  
 sed

sed

sed insuper. quid de re, sub similitudine assumpta dici debeat; ut si de Christo sub similitudine solis agas, non solum illa erunt adferenda, quæ Christo conveniunt, Sed quæ Christo ut soli conveniunt. Memini quempiam concionatorum die SS. Philippi & Jacobi, hanc propositionem orationi præfixisse. Comperi duos peregrinos ad nostram civitatem venire. Ibo obviam, & quid novorum ferant, requiram. Ex hac propositione, sequi oportebat, ut tractarentur laudes SS. Apostolorum, sub similitudine peregrinorum: sed ille orator multa de Apostolis, nihil de peregrinis, atque de itu obviam locutus, rem conclusit. Hinc non nemo ad alium. Quomodo contigit, ut hic orator peregrinos præteriret? Retorsit alter: nil mirum esse. Aliâ enim portâ peregrini urbem ingressi, aliâ concionator egressus. Ita plurimis evenit, hunc modum incautè tractantibus, cui errori ut facilius occurratur, primum puncta in quibus similitudo cum re convenit, tyro colligat: tum, singula seorsim tractet, roboret, amplificet: Interferi tamen possunt, & debent, verba rem clarè explicantia, ne Allegoria obscura evadat.

## P R A X I S.

Dominica quinta post Epiphaniam.

*Sinite utraque crescere ad messem. Matt. 13.*

**A**ccessus & propositio. Quis Paterfamilias, quis Ager, qui messores, quid messis, explicuit ipsemet, domum à concione veniens, saluator: & dixit: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis,*

v. 37. *Ager autem est mundus, bonum semen, hi sunt filij Regni. Zizania autem filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò consumatio sæculi est. Ad hanc messem omnes nutrimur, atque adolescimus. Messis sæculi, consummatio sæculi est; & messis nostra, consummatio nostra in sæculo est. Eia, autumnum nobis faciamus, & messem humanam tantisper contem-  
plemur, ut ejus spectaculo, sortis nostræ admoneamur.*

Confirmatio debet constare descriptione  
& explicatione convenientium messi proprietatum: quæ pariter morti hominis conveniunt.

*Prima Proprietas messis & mortis.* Si qua in re obli-  
viosi homines sumus, ea est conditionis huma-  
næ & fragilitatis oblivio. Nati mortales, immor-  
tales nos fingimus: neque id ideo, ut ad immor-  
tales curas, animo extendamur: Verum ut à mor-  
talitatis cogitationibus salutaribus, memoriam a-  
vocemus. O vanas spes, atque sæpè damnosas,  
semper falsas! vireat herba vere, mature scat æstate;  
successu autumnus succedet messis. *Metenda sunt  
fruges* ait Euripid: *sic jubet necessitas.* Necessitas,  
quæ libertatem tollit, leges non admittit, omnibus  
imperat, omnia vincit. Naturam rebus, ut dare,  
ita tollere non possumus. Naturam porrò rebus  
auferat necesse: que neget naturæ autumnum, au-  
tumno messem. Apoc. 14. v. 14. *Et Vidi, & ecce  
nubes candida, & super nubem candidam sedentem  
similem filii hominis, habentem in capite suo coronam  
auream,*

*auream,*

*auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exiit de templo, clamans voce magnâ, ad sedentem super nubem: Mitte falcem, & mete, quia venit hora, ut metatur. Vide Messorem. Filius hominis est: qui Joel. 3. edicit: Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ubi occumpere facit Dominus robustos tuos. Additque Mittite falces, quia maturuit messis. Nemo hîc excipitur, omnes adesse iubentur, omnes falcibus subjiciuntur: unde & coronatus apparet, quia omnium victor, omnium succisor.*

*Secunda Proprietas. Nullæ fruges, à messis debito eximuntur, nulli homines, à debito mortis. Dum spica sit, falci paratur. Imo nobiles, adultæque spicæ, citius messorem provocant, quàm viles: quanquam dum messis urget, neutris parçitur. Lex olim terræ sanctæ fuit; Levit. 23. ut primitiæ messis, Deo sacrificarentur: lex universæ terræ est, ut omnes fruges metantur. Es, 17. Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet, & erit sicut congregans in messe, quod restiterit, & brachium ejus spicas leget: & erit, sicut querens spicas in valle Raphaim. Ecce quâ diligentia DEUS spicas colliget, ne speret aliqua, se posse manus ejus evadere. Sileat Raphaim, sileant gigantes, robusti, potentes, sileant & medici, (utrumque enim Raphaim interpretatur) vetus hic illud verissimum. Contra vim mortis, non est medicamen in hortis, contra falcem non est herba, contra Deum, non est homo. Statutum est, ad  
Hebræos*

Hebræos nono *omnibus hominibus semel mori*. Dū herbæ parcutur, indulgentia latius non extenditur, nisi ad messem, ad messem. O Christiani 4. Esdræ 4.32. *Quando secata fuerint spicae, quarum non est numerus, quam magnam arcam, incipient facere!* Quis ad hoc spectaculum non ploret Xerxes? quis ad hanc sortem suam, non ingemiscat homo?

Tertia *Proprietas*. Sed quomodo, & quādo hæc quæsiuit ibidem Esdras. *Quare modici, & mali anni nostri?* responsum datum. *Ne festines, tu super altissimum, ac rursus: Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, quoniam in statera ponderavit seculum, & mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora.* Ut autumnus, ita messis certa est: sed nec autumnus, nec messis, nobis, notum tempus. Fit enim ut pro cæli benignitate, aut severitate; messis appropiet, aut tardet; ac insuper multæ fruges, casu vel necessitate, inspiratè atque inæquabiliter demetantur. Es: 16.9. *super hoc plorabo, in fletu Jaser, vineam Sabama. & nebrabo te lachrymâ meâ, Hesebon & Eleale, quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam, vox calcantium irruit.* Quod idem plorans Jeremias, dicit quod prædones irruerint. Insuperatissimi hospites, pariter ingratiissimi. Ferendus tamen quicumque casus, quæcunque manus, atque ideò etiam pertimescendus spicis. Marschalcus Galliarum nobilis, gentilitiis liliis inscripserat, fuit, floruit, profuit. Hæc, optes merito, humanæ vitæ spicis inscribi: sed quot illarum Poëta accinet? *Ostendent hunc tantum fata, quod Isai ex cap. 18.v.*

4. adscribet. *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & praeidentur ramusculi ejus falcibus.* Facundas vos opto ô spicæ, sed & cautas ! Floridas, sed & pavidas ! Ante messem, omnes seremini, sed messis vestra incerta est. Diu floridæ, momento cadetis. Nunquam falx procul abest, quæ undecunque veniat, vobis succumbendum est.

*Quarta Proprietas.* Sic tamen quoque felices, si quando cunque, & quomodo cunque cadetis, illud Duci Ignatii Martyris vobis conveniat. *Frumentum Christi sum*, nam cum post messem spicæ, & triticum, ad horreum Domini deferuntur, sine que suo gaudent : tum zizania, & infelices segetes colliguntur & exuruntur. Heu infelicia semina ! quid vobis prodest, tam pulchro vere lætata esse ? quid, tam florenti herbâ surrexisse ? si vinculis, & igni præda parabamini ? ô quam flos vester caducus ! quàm brevia incrementa lætitiæ vestræ ! Ligabimini ! ut pares paribus sociemini, rapaces rapacibus, fornicarii fornicariis ; *ut quos similis culpa coinquinat, par etiam pœna compingat.* D. Greg. 9. Moral. 39. Ligabimini ! ut omni libertatis spe recisa, æterni servitio ignis, addicamini. Ligabimini ! & in ignem projiciemini, ut levem exultationem in vitio, immensis expietis tormentis in igne. Difficile est, ne, sicut ubi fuerit triticum, non inveniantur zizania : *ita, ubicunque fuerit bonum DEI : non sit illic, scandalum inimici,* ait D. Epip. homil. 13. in Matt. finitque utraque Deus crescere, *non negligendo disciplinam, sed habendo patientiam*



*tientiam inquit item D. Bern. ser. 12. in Psal. 90.  
Caterum, aut vitis, unusquisque sit necesse, aut ignis:  
aut frumentum, aut tormentum.*



## MODUS NONUS.

**C**onstat ex Allegoria imperfecta, quando propositio quidem allegorica ponitur: in decursu tamen orationis non adeò tenaciter similitudini quidem cohæreat, vultu tamen proprio, passim explicetur. Exemp. grat. dicturus Dominica 3. Quadrag. ad illa verba Lucæ 11. *Cum fortis armatus, custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet*, proponeres, Armaturum te, militem Christianum, & tum porrigeres illi gladium, clypeum, scutum, atque statim quid singula significent apertè explicares, juxta D. Paulum ad Ephes. 6. ut scutum intelligatur fides, gladius Spiritus, galea studium salutis: aut juxta alios sensus aliunde aptè petitos.

### P R A X I S.

In Festo S. P. H. Ignatii.

*Lucerna ardentes in manibus vestris. Luca 12.*

*Accessus & propositio.* Dubitare minimè possumus: lucernas ardentes, à S. Ignatio, ex præscripto, ad supremum agonem conservatas: illud utilius considerari potest, quos impetus, in eo studio senserit ac pervicerit: ut hac ratione, ad virtutis e-

jus